

CAP. III.

DE

MUTILATIONE S. COENÆ.

§. I.

Quemadmodum superiores de Sanctis invocan-
 dis, & Purgatorio errores in Papatu κακοζηλία
 Gentium & lucri inexplebilis cupiditas genuit,
 genitosque velut monstra nunc alit & indies magis
 magisque auget, ut solet esse lucri bonus odor ex re,
 quavis, etiam si vel maxime sit impia: Ita illos novus
 nunc ex capite de sacra Cœnâ consequetur error, qui
 est de Mutilatione S. Cœnæ, quem sola libido dicam an
 arrogantia ἀντικειμένου genuit, qua eam sibi sumit pote-
 statem, ut non solum conscientis hominum imperet,
 verum etiam Deo & rebus divinis dominetur, easdem-
 que pro libidine sua vel augeat, vel mutet, vel mutilet,
 vel etiam nefarie dilaceret. Sunt quidem alii quoque
 Pontificiorum errores longe gravissimi in capite de S.
 Cœna, quando, verbi causa, ex Sacramento Sacrifici-
 um proprie sic dictum & incruentū faciunt, quam Mis-
 sam appellant, quando panem & vinum in naturā Cor-
 poris & Sangvinis Christi commutari volunt, quod
 barbare admodum transubstantiationem vocant,
 quando per S. Cœnam non conferri peccatorum re-
 missionem docent, & complures alios errores de ver-
 bis Servatoris nostri, de intentione Ministrorum, & a-
 liis defendunt ac tuentur. Verum enim vero in his o-
 mnibus nullus esse videbatur, qui usque adeo manife-
 ste ostenderet Mysterium illud iniquitatis, de quo in
 præ-